



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Optimum senis consiliu[m], ne monachus mulieri appropinquet. Capvt
CCXVII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Item meum, & ille non vult reconciliari mihi, alloquere illum, & ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissimè suscipiens, conueni fratrem illius, locutusque cum illo sum ea quæ ad charitatem, & concordiam pertinere videbantur. Visusque est interim obtemperare mihi. Postmodum verò dixit ad me. Reconciliari nequeo, quia iuravi per Crucem ultra illi non reconciliari. Quo audito, sub ridens aio ad illum: Iuramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: per pretiosam Crucem tuam, Christe, non obseruabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solùm enim non debemus ea seruare, quæ à nobis pessimè diffinita fuerint, sed etiam maximè pœnitentiam agere, & affligi in his, quæ contra nostram salutem malè diffiniuimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset neque iusiurandum, quod stultè emiserat, seruasset, nunquam profectò maximum illud scelus admisisset, vt præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilij sententia confirmatur, quam de Euangelio sumpsit, quando voluit Dominus lauare pedes beati Apostoli Petri, cùm ille primò pertinaciter obstans, postea sententiam mutauit.

Optimum senis consiliũ, ne monachus mulieri appropinquet.

CAPVT CCXVII.

DIXIT senior quidam: Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuo soluitur, & deficit. Et monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atq; in id definit, vt iam monachus non sit.

*Notent moderni heretici, qui à lateribus seminarum
quam discedere volunt.*

*Quomodo Abbas Sergius iniuriantem Agricolam
patientia confuderit.*

C A P V T C C X V I I I .

NARRAVIT nobis Abbas Sergius dux
monasterij Abbatis Constantini, dicens:
Cum aliquando iter ageremus cum quo-
dam sancto senē, erravimus de via, & neq; scienti-
bus nobis, neque volentibus, inter fata inuenti su-
mus, & aliqua de fatis volentes nolentesque calca-
vimus. Quod cū vidisset agricola (erat enī illic ope-
rans) cœpit cōtra nos iniuriosa multa pferre cum
iracūdia, dicēs: Vos monachi estis? Vos timetis De-
um? Si timoreni Dei ante oculos habuissetis, hoc
profecto nō fecissetis. Tunc ait nobis S. senior: Per
Dominum nullus ei respondeat. Conuersusque
ad illum dixit: Rectē locutus es, fili mi. Nam si ti-
morē Dei haberemus, non ita fecissemus. Ille rur-
sus furens, contumelijs impetebat nos. Rursumq;
dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili, nam si
veri Monachi essemus, istud non egissemus. Sed
per Dominum indulge nobis, quoniam peccavi-
mus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humi-
litate, accessit propius, prostravitq; se ad pedes
senis dicens: Peccavi, indulge mihi, & per Domi-
num assumite me vobiscum. Dicebatque beatus
Sergius, quia secutus sit illos rusticus, & acce-
pit habitum.

Vides quod monachus factus accepit habitum.

*Quomodo frater quidam humilitate Dia-
cono de se conquerenti reconci-
liatus sit.*